

Q.N. 524,22

B. m. II 47

II c  
390

X1860255

DE  
LIBANIO

DISPVATIO PRIMA.

In quam,

DEO BENE IUVANTE,

PRAESIDE

M. IO. GVILELMO BERGERO,

Hala Saxone,

IO. BERNHARDVS Subn/

Qvedlinburgo Saxo

ingredietur

A. D. XIV. Kal. Ianuar.

clō. Iōc. XCVI.

VITEMBERGAE,

Per CHRISTIANVM SCHROEDTERVM,

Acad. Typ.



37. p. )  
2

DE  
**LIBANIO**

DISPUTATIO TERTIA.

*Pro qua,*

PRAESIDE

**M. IO. GVILELMO**

**BERGERO,**

Hala Saxone,

**GEORGIVS MVLLERVS,**

Schoenbr. Misnic.

annitetur.

A. D. Mart.

**CIO. IOC. XCIIX.**



VITEMBERGAE,

Ex Officina SCHVLZIANA.

m-  
ac-  
re-  
su-  
iam  
bo  
ro-  
sum  
con-  
s-  
u-  
ris-  
mo-  
asi-  
sim  
um  
lac.  
ha-  
rifi-  
ma-  
epi-  
pfa  
hof-  
cum  
-  
tam  
b il-  
ne se  
r lvs  
r av  
sca.  
em,  
, qui  
scen-  
gitur  
ando  
scen-  
nas, l.  
6473.  
17-



LIBRARIUM

DISYPTIC TERTIA

MICHAELIS

BERGERS

EX OFFICINA SCHEIDTIANNA

MDCCCXXXIX

EX OFFICINA SCHEIDTIANNA



A. Ω.

LIBANIUS PHILIPPO ET DIDACCO  
 LIBANIUS PHILIPPO ET DIDACCO  
 ΛΙΒΑΝΙΟΥ ΦΗΛΙΠΠΟΥ ΚΑΙ ΔΙΔΑΚΚΑΛΟΥ  
 ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ.

**M**agnam Athenis dignitatem adeptus erat, quum in Thraciam cogitaret. Nam eminebat his temporibus BYZANTIVM, Thracum caput, Augusta sedes, Bosporo Thracio, et Ponto Euxino, coniuncta, quae post varias fortunae vicissitudines, ab instauratore CNPoli appellari coepta, inde a Constantini M. aetate denuo eluxit. Quam quidem Severus ex maxima, et beatissima, vrbe in vici formam redexit, idemque placatus, e ruinis paulatim excitavit, et Constantinus deinde in illud extulit fastigium, ad quod ea nunquam antehac aspirarat. *Herodianus lib. III, cap. I. et VI. eiusd. libri.* Quo fiebat, vt, quantum splendoris loco huic accederet, tantum Vrbi detraheretur, quum veteris, eiusdemque praepotentis, imperii domicilium convelleretur, et Latioque in Thraciam transferretur. *Zosimus II. 30. 31. 35. quocumque, praeter Io. Leunclavium, componas licet Io. H. Boecleri animadversa, quae Herodiano subiecit, p. 427. et 410.* Imperator enim pomeroio, longe pro lato, amplam accessionem adiunxit. Neque aedibus magis, atque insanis substructionum molibus, quam civium nobilissimorum, quos e patriciis Qviritorium gentibus, et vrbibus, prope exhaustis, accivit, frequentia, regiam, ad orientem solem constitutam, opplevit. Quibus adeo auctibus nova isthaec Roma eo magnitudinis crevit, vt, quae superiori memoria rem frumentariam, pene infinitam, Atheniensibus supportarat, huius iam alimentis neque Aegypti, nec totius Asiae cis Taurum, nec Syriae Phoeniciaeque, naves, neque annona e provinciis vectigalibus subvecta, sufficere viderentur. *Eu- nap. in AEdesio, comparentur Eusebius de vita Constantini M. Socrates lib. I. cap. XVI. Sozomenus II. 3. Fasti Siculi p. 663. seqq. Hesychius Milesius in rebus patr. Constantinop. p. 53. ex recensione Io. Meursii. Excerpta scriptoris ignoti, in calcem Ammiani Valesiani reiecti, p. 661. compam Libanium, vbi Theodosium, Antiochenis reconciliatum, laudat, Or. XIII. p. 412. ὁ τῆς Ρώμης μὲν ὁ μᾶντιμον ἐγγείας πόλιν, τὸ γῆμα δὲ τὸ ἐκείνης ἀπ᾿ ἀνείστω τὴν εἰσσεύων.*

II. Hanc igitur, quae amplum ingenio spatium daret, quum adire

cum *Crispino* quodam *Heracleote* **LIBANIUS** statuisset, eum Athenien-  
 ses, non nisi iurato reditu, dimiserunt. Quo ut venit, et requisivit de-  
 inde navem, qua remigraret Athenas, commodum huic affuit *Nico-*  
*cles* quidam *Laco*, ei, si maneret, pollicitus nobilissimos adolescentes,  
 quos postredie eius diei magna mercede erudiret, quadraginta. Opera  
 enim *Libanii* uti parabat adversus *Cyzicenum* quendam, immemo-  
 rem eius beneficii, quo erat ad civitatem ascriptus. Quam quidem o-  
 pem ille ab hoc potissimum *Rhetore* merito petebat, quem sciret, haud  
 dubitare, ad rem publicam quoque aggredi, et causas in foro gravissi-  
 me defendere. Has enim *Scopelianus* ille, has *Polemo*, et *Heliodorus*,  
 quos apud *Philostratum* legas, tum alii, qui se tulerunt *Sophistas*, splen-  
 dide egerunt. Annuit igitur hospes. Postea vero iurisiurandi, quo  
 reversionis suae fidem astrinxerat, religione motus, clanculum Athenas  
 revertit. *CNP*olin inde regressus, fideque, quam *Nicocli* dederat, libe-  
 rata, gratiam iniit apud *Dionysium Siculum*, virum praecipuae aucto-  
 ritatis, qui, magno fortique ut esset animo, eum hortatus. *Tropaeum*,  
 inquit, nunquam a timidis erigetur. Hoc alacrior ad dicendi exerci-  
 tationem accessit, et movit patres, ut eum omni comitate, beneficen-  
 tiaque complecterentur. Cogitemus hic licet, quam *Nero* iste, qui  
 tam multa pessime fecerat, vere certe, *artem*, pronuntiarit, quamvis a-  
 lere terram; aut quemadmodum Graece dixit, *ἡ τέχνην πᾶσα γαῖαν*  
*τρέφει*. *Tranquillus Nerone VI. 40.* Etsi enim alia gens alio populo  
 magis alium atque alium artificem colit: nulla tamen natio tam  
 immanis est, et barbara, cuius non extet quispiam, qui eum admire-  
 tur, recipiat, foveat, in quo singularem rei peritiam, atque exquisiti  
 cuiusdam artificii specimen opusque, cognoscat. Tanto minus eru-  
 ditis, et sapientibus, de viatico laborandum est. Quos alienigenas  
 forte, nec visos unquam in tam disiunctis terrarum oris auditosve,  
 quum rerum omnium inopia opprimere videatur, subinde ingenium  
 tamen necopinato effert, doctrina sustentat, virtus fulcit, partis eo-  
 rum studiis, qui animo, non corpore, ingenii, non artibus, sapientia,  
 non lacertis, terrarum orbem regi norint. At male agitur  
 cum iis, quibus spes omnis et ratio, et cogitatio, ex facultatibus et co-  
 piis pendent, spretis iis bonis, despectisque, quae nec ferro, nec flam-  
 mae, nec rapinis, neque vllis temere casibus, iniuriisque, patent. His  
 fidens *Bias* vim imperumque hostium contempsit, quumque ceteri, suis  
 quisque rebus, consulerent, hic nullo amittendi metu angebatur.

Quippe

Quippe cum, si domo emigrandum ei esset, si fortunae direptioni ho-  
 stium expilationique relinquendae, si nihil bonorum asportandum, et  
 collocandum in tuto; *omnia tamen sua secum portaret.* Cic. *Paradoxo I.*  
 Nam *pectore*, si interpretem velimus *Val. Maximum*, *illa gestabat, non*  
*humeris: non oculis vsurpanda, sed animo cernenda.* *Quae domicilio*  
*mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum* (Deorum certe, quoniam  
 maior Dei vis est) *manibus labefactari queunt, et, ut manentibus prae-*  
*sto sunt, ita fugientes non derelinquunt.* Quare ubi Archiae patronus,  
 literarum studia, contendit, *adolescenciam alere, senectutem oblectare,*  
*secundas res ornare, adversis per fugium, ac solatium praebere, delectare*  
*domi, non impedire foris, pernoctare nobiscum;* subdit deinde, tot illu-  
 stribus exemplis confirmatus, eadem etiam nobiscum peregrinari. Nec  
 dissimulavit sive Aristippus, ut *Vitruvio* videtur, sive Antisthenes, ut  
 memoriae prodidit *Diogenes Laertius, lib. VI. cap. I.* sibi doctrinam sa-  
 luti fuisse. Naufragio enim facto, apud Rhodum eiectus, invenit,  
 non modo qui victum, verum etiam, qui vestem sibi, comitibusque  
 darent. Quibusdam igitur comitum, qui domum redire vellent,  
 mandavit, verbis suis hortarentur necessarios, quo filiis eas quaere-  
 rent opes, quas nec tempestas, nec procellae, perdere possent. Sen-  
 sit nimirum vir sapientissimus, homini non fortunae muneribus, sed  
 multo tutius animi bonis, fidendum esse, ut vbi vis gentium, terrarum-  
 ve, victum sibi quaerit, ac vel ab ignotis ignotus colatur. Neque e-  
 nim scite magis, quam merito, Graeci. *λίμνη ἀνρυχίας ἐστὶν ἀνδραπόδων*  
*πέχνη.* Haud aliter, ac *LIBANI* reditum tanta excepit hominum appro-  
 batio, ut intra dies non ita multos amplius octoginta auditores cum  
 advenarum concursu, tum civium, qui a veteribus desciverant magi-  
 stris, transitione efficerentur. Illi etiam, qui equestribus campestri-  
 busque decursionibus, et scenae, operam dabant, ad eloquentiae stu-  
 dium, hoc duce, incubuerunt. Tanta ingeniorum contentione per-  
 motus *Constantius Imp.* peregrino rhetori tabulis publicis indulso  
 docendi munus, ac confirmavit. Hic Orator, quum in Sophistarum  
 trium, quos *CNPoli* offenderit, ineptias dicat, quorum primo flosculi  
 deciderint, aliter nulladum laude effloruerit, tertius luxuria emerse-  
 rit, et vanitate: idem profecto, tectius saltem, quod alibi, queri vide-  
 tur. *Eloquentiam, et doctrinam, hanc deficere aetatem, quoniam prae-*  
*mita deficient viramque.* *Vid. Apologia p. 593.* Sic autem infra verius  
 suam aperit sententiam, ubi, quadam incensus ira, *Constantii* manes  
 laceffit.

laceffit. Hunc ex paterna malorum scintilla ingens quoddam incendium conflagasse. Vti religionem, excisis templis, ita humanitatem, prohibitis aulae aditu doctis viris, profligasse. Barbaris hominibus, atque eunuchis, obsecutum: quorum interfuerit, opprimi eloquentiam, neminem sapientum, disertorumve, in familiaritatem Imperatoris pervenire. Tacere inde disciplinas, quas praemia sustentent nulla, *compara 591. 592. 593, paginas, quarum modo attigimus summas.* Atqui hic idem est imperator, quem ille copiosissima oratione antehac cohonestavit. *Vid. Basilicus a p. 100. ad 150.* Nihilominus tamen ei, quam *Eunapio, p. 50,* cum *Iulio Firmico* demus, Constantium quaedam etiam templa excidisse, everforique rem bene gestam laudi ducamus. Verum odio eum habuisse eruditos homines, largiremur, nisi *Marcellinus*, quem fortasse nemo non Graece, quam Latine, scripsisse mallet, *doctrinarum diligentem affectatorem* (amatorem) *cap. XXI. extremo, et Victor in Iuliano, facundiae cupidum,* eum appellerent. Accedit *Themistius, Μάρσιος,* testatus, *οὐς ἐξέτευσθε τῷ βασιλεῖ, καὶ διδόναι αὐτῷ νίκας ἐξαιρέτους, ὡν ἐκ Ἀφῆς ἐμοιῶνησε. Orat. II. p. m. 47.* Idem praefectus praetorio, ob praecipuam sapientiae laudem, a Constantio creatus, paulo ante, p. 44, commemoravit bibliothecam, a Constantio CNPoli instructam, quam Valens postea, quique ei successerunt, miris codicum, membranarumque, accessionibus locupletarunt. *Iac. Gothofr. ad C. Th. de Prof. de stud. liberal. & alibi.* Alioquin inficias haud imus, eum nec *Marcellino* ingenii acie, nec *Victori* celeritate, satisfecisse. Nam alter hebes eius ingenium notavit, vel, ut *Valensius* exscribit, *obtrunsum,* quo *desertus* defectusque in rhetoricis, dicendi studium cum poetice commutarit, et versus facere coeperit, pretio cuiusdam operae nullo. Alter eiusdem tarditatis illum accusavit, qua cum assequi dicendi ornatum non potuerit, aliis subinviderit eum. Quo tamen modo ingenii facultatem minui, non extingvi literarum studium, sentimus, nec Constantium eo usque dicendi peritis obrectasse, ut, quod putat ille, de omnibus fortunae praesidiis deiecisse eos videatur. Adeo *Libanius* caliginem inducere Christianorum Imperatoribus solet, quo, sicuti hoc loco, solus exsplendescat *Iulianus.* Ad ordinem revertamur. Has tam prosperas, tamque inopinatas, res consecuta est subita commutatio, quod paedagogi, quem aegre amiserant Athenae, et Constantinopolis amplexa cupide fuerat, vrbe tandem pepulerunt. Quod quidem *Socrates, H. E. lib. III, cap. I,*

*cap. I.* tradit, neque eiectus inficiatur ipse, sed, quod alii amoris, nescio cuius, poena factum volunt, cuius tamen idoneum desideramus au-  
torem; id quidem obtrectatione malevolorum sibi accidisse, ille con-  
tendit. Nec vero rei solum, indicta, ut conqueritur, causa, ge-  
stae, seriem exposuit, sed etiam orationem quandam singularem com-  
posuit, qua in expulsoꝝ iniurias declamavit. Cuius tamen quic-  
quam nec vidit *H. Valerius*, nec scimus nos, praeter acerbitatem scri-  
ptoris, a *Socrate* memoratam, qua odium adversariorum, contu-  
meliamque vltus est.

III. Est ille fructus multo vberimus, quem literae feriis studiis  
tribuunt, quod et res florentes ornant, et afflictis praesidio sunt. By-  
zantio profugum susceperunt BITHYNI. Erat haec provincia, te-  
stamento Nicomedis in patrimonium imperii conflata, fertilitate v-  
berissima, et urbium, civiumque, cultu insignis. In qua Nicaea, et Nico-  
media, pridem enituerunt. Quarum alteram, praeter ornamenta cete-  
ra, Dionis Cassii, prudentissimi scriptoris, ortus, et structura, aequa-  
bili architectandi lege descripta, nobilitabant: alteram Lactantii o-  
re, Themistiique sapientia, atque omni liberalis doctrinae studio, illu-  
stratam, publicorum splendor operum, ludorumque Circensium ce-  
lebritas, tantopere commendabant, ut eam admiratione dignam iu-  
dicarit ille, quisquis *veterem orbis descriptionem* concinnavit, *cap.*  
*XXXII.* Nec pigeat *Themistio in Soph. Libanii Or. VI* iungere, si lau-  
des Nicomediae intelligere velimus. Tanta utriusque dignitas nos  
prope adducit, ut, LIBANIVM, credamus, dehinc CNPolis iacturam mo-  
deratius tulisse. Advenamque hunc, facto eam in rem amplissimo  
decreto, primi exceperunt NICAENI. Mox magna est ambi-  
tione NICOMEDIAM accitus. Hic superioris sensum casus si non  
amisit, mitigavit certe. Haec enim erat illa, quam in convivio, quod  
instruxit *Athenaeus*, sapiens ille perpulcram vocabat, quum Antio-  
chiam pulcram tantum, Alexandriam autem auream appellasset.  
Praesertim quum tantum esset theatrum rhetori datum, ut plausum  
illius, qui late resonabat, magna orientis multitudo subsequeretur.  
Nicomedia enim tenebras offudisse Athenarum lumini videbatur, per-  
suasumque gentibus erat, imperite peti altius, idque deterius, quod  
in promptu, satiusque foret. Quam quidem felicitatem ei fortasse  
non parum, licebit, gratulemur, si meminerimus, quam illud quidem  
hominibus in more positum fere sit, ut *audita visis laudent libentius,*  
*et prae-*



et praesentia invidia, praeterita veneratione prosequantur, et his se  
obruui, illis instrui, credant. Vellei. lib. II. cap. 92. Quo fiebat, ut civitas  
ex nutu eius penderet, nec iam illa vrbs vrbs quaequam, sed *μυσείον*  
quoddam, esse videretur. Similiter, atque Athenas, constat, non  
magis *ἑκὰδον τῆς ἑκὰδον* a Thucydide, atque *ἑπίσμοι τῆς ἑκὰδον* a  
Pindaro, quam *σφῶν διηγήσεων* a Strabone, et *σφῶν πρῶτων* ab  
Aristide, et passim demum *μυσείον τῆς ἑκὰδον*, appellatas olim fuisse.  
Ad publicum honorem illum privati cumulum gaudii liberalitas Cris-  
spini, quem nominavimus, *Heracleotae* adiecit. Qui libros curribus  
quum adveheret, eorum dono tam impense laetatus est LIBANIUS, ut  
faceretur, *idem si fundum, si onerarias naves, si iunctas, confertasque  
aedes, muneri sibi dedisset, laudaturum quidem se fuisse hominis volun-  
tatem, sed rogaturum simul eum, ut haberet sibi.* Hic vel imperitior  
quispiam, qui verae laudis gustum non habeat, vel avarus, qui omnia  
utilitate metatur, fortasse mirentur, quid veniat in mentem viro, qui  
negotium otio, curam sollicitudinemque quieti, verba rebus, tum prae-  
ferat, quum libros, codices, schedas, opibus divitiisque praeoptet.  
Credatque adeo fortasse, locutum esse, quam sensisse, fortius eundem  
illum. Is vero, quisquis de Antiocheno ita existimet, ignoscat ei, si  
literarum, non auri argentique, amore inflammatus, tanti faciat li-  
bros, ut in nulla re alia conquiescere s'vavius posse videatur. Sive enim  
honestatem sequeretur, nihil fingi poterat honestius earum tractatio-  
ne literarum, quibus vel mandatae erant tot pulcerrimae doctrinae, vel  
tradita tot egregia exempla, quae tam virum, quam civem, bonum  
efficere possent. Sive ad commoda utilitatemque spectaret, nihil  
fructuosius erat illarum studio rerum, quae virtutem pariter, et pru-  
dentiam parerent, conservarent, locupletarent. Sive delectationem  
animi, requiemque curam, quaereret, ea demum voluptas futura erat,  
quae ex omni eruditionis varietate caperetur. At divitias afferre sae-  
pius curas, quam auferre, intelligebat, seque mortuo, ad heredes  
transire, aliumque atque alium sortiri dominum, cum quicquid, li-  
brorum lectione adiutus, commentaretur, id demum totum, quan-  
tumcunque foret, suum esset futurum. Possessiones certe commu-  
nes esse cum vulgo, a quo magnus praeclarusque animus, et supra res  
humanas elatus, virtute, ingenio, literis, distingvatur. Quare tot  
excellentium ingeniorum monumenta, norat, aditum sibi ad immor-  
talitatem nominis aperire, si tot summorum hominum monita in ani-

mum

num demittat, et factis, aemulaeque exemplis doctrinae exprimat, ac  
viam persequatur, quam illi suis insignitam atque impressam vestigiis  
in temporum memoria reliquerunt. Hac mente nunquam sibi bea-  
tiores videbantur veteres, quam si aut in vrbe, aut in suburbano, in  
Formianis, Tusculanisve, ad studia redirent, et curas legendis prae-  
clare scriptis levarent. Haec suppeditabant *M. Ciceroni*, ubi ex forensi  
strepitu reficeretur. Nec vero idem mederi aliter dolori suo poterat,  
quam si *abderet se in bibliothecam, VII. Ep. 23, sive se totum in literas ab-*  
*deret, et cum ceteris, earum studiosis, honestissimo quodam otio perfrueret-*  
*tur, Ep. 33. comp. Or. pro Arch.* Tali deliciarum genere *Plinius*, Traia-  
ni amicus, intervalla negotiorum in Laurentiao suo elegantissime  
dispungebat, si legeret aliquid, *I. Ep. IX.* Idemque, *superiori Ep. IV.*  
*libri eiusd.* Caninium Rufum hortatur, ut humilibus, sordidisque ex-  
peditis curis, in peramoeno, atque opimo, secessu literis se dedat. *Hoc*  
*fit, inquit, negotium tuum, hoc otium; hic labor, haec quietes: in his vi-*  
*gilia, in his etiam somnus, reponatur.* Inferius autem, mirum dictu,  
quanta perfundatur voluptate, quod nulla spe, timore nullo, solicite-  
tur, neque vllis unquam rumoribus, obturbetur, quoad *secum tan-*  
*sum, et cum libellis, loquatur. O rectam, inquit, sinceramque vitam!*  
*o dulce otium honestumque, ac pene omni negotio pulchrius!* *Ep. IX. libri I.*  
Cur autem de literarum svavitate tam multa? aut quidni potius, data  
tam iucunde differendi occasione, plura? nisi satis esset, intelligi, tam  
quietum, pacatumque, vitae genus quum secutus sit **LIBANIUS**, idem-  
que omni rerum abundantiae praeponere consverit, recte illum cum  
instrumentis huius otii noluisse vlla fortunae munera comparare.

IV. Magna haec **LIBANI** fortuna, aspici ab omnibus, digito monstra-  
ri, & coli. Nec profecto, vel ipso iudice, minor, quum in eadem vrbe,  
optatissima quoque *Aristaeneti* consuetudine frueretur. Neque enim  
amicitia res secundas ornat modo, verum etiam tantopere cumulat, ut,  
nescio quam inopes, nobis videamur, si rerum omnium copiis afflua-  
mus, amicorum autem egeamus. Longe vero melius bona noscimus  
nostra, eorumque possessione multo svavius gaudemus, vbi familiarita-  
tatem cum quopiam contraximus, quocum gaudia communicemus  
nostra, consilia & sententias conferamus, quemque successibus, in-  
crementisque, nostris ingentue laetari, comperiamus. Quodsi ad vir-  
tutem, et similitudinem morum, accesserit quaedam studiorum com-  
munitas, ut amici de literis mutuo differere, alterque alterum, quid

quoque die legerit, scripserit, observarit, docere possit: tum, incredibile dictu, quam facile difficilis alioqui fortuna ferri superarique, parum autem addi rerum humanarum felicitati, posse videatur. Nec minorem sane voluptatem LIBANIVS cepit, ex quo *Aristaeneto*, quem ostendimus, iatime uti, in eiusque amore, et mirifica quadam erga se voluntate, acquiescere, coepit. Erat ille natione Bithynus, patria Nicænus, (sic autem *Holstenius* ad *Steph.* dispungit) perarguto, ac lepido praeditus ingenio, et Atticae elegantiae retinens, *Heliodori*que studiosus. Cui rei sunt indicio illa duo, quae suppetunt, epistolarum volumina, eademque amatorii, ut liquet, argumenti, quae *Io. Sambucus* primus Graece Antverpiae A. cl. Io. LXI emisit, ab eoque *Iosias Mercerus* convertit perinde, ac peretudite enarravit, *Par. An. cl. Io. XCIV. ibid. cl. Io. X. et XXXIX.* Quae, parum caussae erat, quam obrem *Gaspar Barthius Fl. Aristaeneto* vindicaret, libro *Adversariorum LV. cap. IIX.* Idemque erudite observavit *L. Albertus Faber*, neque invitus approbavit *Io. Mollerus*. Quorum priorem subducta stili, temporumque, ratio illud quoque facile admonuit, epistolas illas esse tribuendas neque illi *Aristaeneto*, ad quem septima et octogesima *Phalaridis* epistola extat, neque ei, quem v. A. *Suidas* memoravit, neque ei, qui de *Phaselide* scripsit. Idemque fortasse ille ulterius in *Eibl.* quam apparat, *Graeca* firmabit. Certe vel ex ipsa LIBANI vita docere poterit, nullius ingenio magis illas respondere epistolas, quam huius, quem Orator tam suavem descripsit, ut illum tres venustatis praesides, Gratiae sorores, suis finxisse manibus prope videantur. Potius igitur *Lucae Holstenio*, viro in diudicandis Graecorum scriptis sagaci, et circumsperto, suffragemur. Quem quidem *Petrus Lambecius*, popularis eius, rogavit, ut ex Bibliothecae Vaticanae pluteis promeret, sibi que impertiretur, si quid adiumenti ad eruenda *Aristaeneti* scripta posset afferre. Decem igitur epistolas ille submitit, quas LIBANVS ad *Aristaenetum* dederat, duabus simul adiectis, quae de *Aristaeneto* ad *Acacium* et *Eutrechium* exaratae erant. Vnde *Aristaenetum*, conicit vir ille eruditissimus, hominem fuisse officii, atque humanitatis, plenum. Carum item, acceptumque omnibus, quos, vel praetereundo salutantes, naturali quodam bono sibi fecerit lucri, ob easque illecebras eum *zōnē* fuisse ab *Antiocho* appellatum. Ad rem quoque publicam eum se accommodasse, subtexit, et muneri cuidam publico apud *Bithynos* praefuisse.

Hiero-

Hierocle Philosopho involutum, et Nicaeae sepultum. *adi Lambecium lib. VI. de Biblioth. Vindobonensi p. 244. et subsq. qui eas, quas diximus, Libanii epistolas expromit. Alias, idem subdit, eius generis, calamoxscriptas, in re Augusti libraria latitare illas quidem, sed maximam partem cum Libanio Gr. Lat. excusas. Ex eo, quem laudavimus, Faaber Dec. Decadum num. IX, quocum comp. Io. Mollerus de script. Homonymis p. 285.* Ad indolem ergo LIBANI nemo propius Aristaceto accessit. Cuius et mira comitas, et singularis elegantia, Oratorem intimis sensibus tantopere affectit, ut eius suavitate morum matris suae, necessariorumque desiderium se lenuisse, ipse fateatur. Adeo nihil copulatius est, nihil amabilius, quam morum similitudo bonorum, quae non conglutinat modo animos, quasque coagmentat, verum continet etiam, dum coalescant in idem, unusque e duobus efficiatur.

V. Nihil autem sub haec tempora optatius LIBANIO cecidit, quam ut Iulianus ei conciliaretur. Secus, ac Io. Michaelius, *Hist. Polit. p. 397 in Iuliano*, cum eoque, quorum nominibus modeste parcimus, alii, tradunt, Athenis in familiaritatem Rhetoris Iulianum pervenisse. Quorum quidem ut defugiamus auctoritatem, monet perspicuus, quem mox afferemus, LIBANI locus, sed, quod identidem miramur, paucis cognitus, incertum, an tum memoriae subductus, quum esse ex usu potuisset. Qui quidem, Nicomediam demum, aperit, LIBANIO adiunxisse Iulianum, profectum Athenas postea, quam Libanius pridem recessisset. Iulianum autem quum memoremus, Nicomediae commorantem, eandemque urbem, intelligamus, illarum fundamenta rerum iecisse, quae deinceps suo quaeque loco edisserantur: non pigeat eius profectiois indagare causam, simulque de Iuliano altius quaedam referre. Natus est CNPoli, Augustamque stirpem avitae possessionis iure, et necessitudine arctissima, complexus, ibidemque diviniorem disciplinis praceptorum innutritus. Literarum etiam studiis, quibus ad humanitatem informamur, a Nicocle Spartano, grammatico, et Ecebolio rhetore, magistris idoneis, imbui coepit. Brevi autem virtutum, quae eximia cuiusdam gloriae fructum polliceri videbantur, amplissima expectatione Constantium patruelem vehementer conturbavit. Praesertim quum sermo passim increbresceret, eum administrandae Romanorum reipublicae idoneum fore. Est cautio quaedam, eademque non nudius tertius ad securitatis tuendae causam adhibita, sed in annales relata, nec magis in republica, quam in aula, factis exemplisque perspecta.

Nam tuta depellendi periculi ratio visa est, si a conspectu civium, oculisque femoveantur, a quorum magnitudine timere tibi possis. Eandemque ap. Nepot. inquit Dionysius Syracusanus, quum Dionem navem triremi Corinthum curaret devehendum, quem ingenio, auctoritate, amore populi, se vincere non ignoraret. Nec prius conquivit ap. *Paterc. II. 45*, P. Clodius, quam M. Catonem sub honorificentissimo ministerii titulo a R. P. in insulam Cyprum relegasset. Ac Nero ita consulens sibi videbatur, si Rubelliam Plautum cum coniuge Antistia ad quietem, in avitis Asiae agris capiendam, hortaretur. *C. Tac. Annali XII. 22*. Constantius etsi erat ad quamvis suspicionem trepidus, cetera pro negotio placidus, et clemens: dignitati tamen suae cavere satis videbatur, si Iulianum, qui iam ex ephelis excesserat, ab aula remotum, per causam discendi Nicomediam ire iuberet. Cuius, sperabat, absentis oblivione studium vulgi sedatum iri. Vetuit nominatim, quo minus is LIBANIVM adiret. Ei quoque, cuius fidei commissus erat, Christianarum partium doctore, iusiurandum adolescens dedit: velle se LIBANUM μήτε γράψαι, μήτε κληθῆναι φοιτητήν, μήτε εἰς τὸν καθ' ἑαυτὸν λόγον ἐγγεγραμμένον τῶν δ' ἁπλῶν, nec fieri, neque dici, discipulum, neque in tabulas familiarium referri. Id quod ipse meminit LIBANIVS, *Or. X. p. 264*. Est quoddam libidinis humanae, ad imperandum, quam parendum, magis proclivis, vitium, idemque pestiferum, ac teterrimum, ut ea fere in vitium nitatur, et, quod serio negatum est, acriter concupiscat. Tanquam, quod invidere sibi videantur alii, sibi quidem invidere ipsa nolit. Quo fit, ut ex occulto, atque ex insidiis moliatur, quod propalam non potest, et nequitia experiatur, quod vi non licet, tenebrisque defendat consilium, ac iuvet. Iulianus quidem percupidus erat LIBANI, sed appositi custodis metu, ad eum itare non audebat primum, eoque vehementius, ut sit, disertissimi viri eloquentiam expetebat. Quare orationes, ab illo confectas, clanculum, prope ut olim Demosthenes Isocratis scriptas, sibi parabat, hisque lectandis exercebatur. Referimus hoc acceptum *Socrati*, qui tantundem nobis explicavit. Verum neque hic, nec lectissimus eius interpres, *H. Valesius*, plura reddunt, ne *Cyrillus* quidem ipse, summo Alexandriae sacerdotio perfunctus, ubi meminit sodalitatem, quae Iulianum depravarit. Orator autem nobis, ex oratione, qua casum Iuliani plorat, superiora quaedam de serpentibus, rem, quo gesta sit arbitro, perspicue narrat. Viam ipse invenit, qua diligens sui adolescens et fidem, religionis vinculo astrictam, quod opinabatur ille, servaret,

varet,

varet, et particeps fieret sui. Magna mercede conduxit tabellarium quendam, qui ultro citroque commearer. Sumptui ergo pepercit nulli furtivus magister, dum in Iuliano *σπείρειν*, hoc est, *sementem facere*, posset. Id quod iam pridem optavit, ex quo fortasse CNPoli adolescentem cognovit collaudari. Doluit inde diu multumque, sibi non dari negotium excolendi eius ingenii, quod magnarum virtutum, a natura profectarum, iudiciis sibi probaretur. Sic enim ipse *Or. memorata p. 263*, effatur.

VI. Ita vero incidimus in disciplinam illam, cuius famae est infamia hodieque aspersa. Cuius oblivionem LIBANIVS magni redimat, ne diram publici privatique boni pestē posteritas, quamvis sera, exeret. Nil enim aliud causae prope est, quam obrem hic passim male audiat, nec fere, nisi contumeliose, vulgo nominetur. Neque id semper iniuria; modo non ignorent multi, extra ridiculae superstitionis culpam, magnum fuisse virum Libanium, quem ipsi religionis nostrae antistites et audierint, et, tanquam eloquentiae decus, observarint. Cetero qui nihil abnuimus, ab illa Iuliani corruptela multorum, quae rem Christianam in ultimum prope discrimen abiecerunt, malorum originem retexi posse. Haud erunt posteri erga eum tam restricti, quin prolixē ei largiantur, quoscunque postularit illud, Iulianum omnium, qui a latere suo non discesserint, minime secum versatum, omnes tamen imitandi solertia praecurrisse. Nec recusabunt, quod adiungit idem, in eiusdem Augusti scriptoris monumentis inesse quippiam affine stilo suo et cognatum *p. 264. et 152 supra*. At quum exaudient illum, ad Iulianum perorantem, *τοῦ γὰρ τοῦ καλοῦ ἰγὼ μὲν ἐφύπνουσιν, οὐ δὲ ἐθρεψαί, αἱ δὲ πέλει δρέπωνται*, *Prospbon. ad Iulian. p. 184*; tum optaverint nimirum boni omnes simul cum Pomponio Laeto, nescio quā insolita religione, quam valde miratus sit *Aegidius Vusius*, tandem aliquando tacto, et Deos, quos tamen illum ob antiquitatem in monte Quirinati veneratum esse, ex *Peuringero* recordamur, magna omnium admiratione, sponte, ultroque oppugnante. *Vinam non habuisset* (Iulianus) *rhethorem Libanium! ab quo ita institutus est, ut, praetermissa veritatis cognitione, puerilem animum ad antiquorum credulitatem flexerit. Itaque sub illo immutatus est, Mercurium praeponebat cunctis. Hist. Rom. p. 10. 803, Chron. Carion. III. p. 212. Inde Vossius pater, Iulianum, dixit, magnum omnino virum fuisse, sed maiorem futurum, nisi Libanio nimium tribuisset. De Philolog. c. 1. Sect. VI.* Iam igitur Rhetor ille alienae erit fortunae prodigus, iam disertus malo publico, quique non parvum tot, quibuscum civitas Dei confl. dari deinde coepit, malis subiecerit facem.

VII. At enim *Socratem*, mirari prope convenit, ubi de Iuliano, in vitium

Hexo, is scribit, non tam **LIBANIVM**, quam nominatim *Maximum*, sollicitae fidei accusasse. Quorum, stylo signavit, alterum sola Iuliani fama excitum, Nicomediam contendisse. Sub quo adolescens, ut ille pergit, simul ac philosophiam a limine salutavit, statim religionem praeceptoris imitari coepit. Enimvero erat *Maximum* Cynicae institutionis doctor, nobilis, et dives, virque magnus, etiamsi maximis aetatis suae compararetur. Sapienter sentiendi, et ornate dicendi, facultate par, ut ne disertorum quidem quisquam contra hircere ausus sit, siquidem *Eunapium* audiamus. Verum qui sicut ingenii praestantia, ita vitii pessimae mentis, excellere visus est. Vbi libet interponere in transcurso, in varietate sententiarum scriptores versari. Quem enim *Maximum* alii, maiore auctoritate praediti, Ephesium, eum longo intervallo *Svidas Byzantium* appellavit. Hocque minus inter illos convenit, quod *Socrates*, et *Sozomenus*, hunc suapte sponte in Bithyniam comisse, tendunt; *Libanius* autem, atque *Eunapius*, Iulianum, Nicomedia egressum, ad *Maximum* in Ioniam adducunt. Sive igitur is ad Iulianum, sive Iulianus, proficiscendi, quocunqve animum institueret, potestatem nactus, primo Pergamum ad Aedesium, post ab Eusebio, eius discipulo, virum, quem dudum quaesierat, edoctus, Ephesium ad *Maximum*, venit; Iulianum, liquet, animum, ad istam superstitionem nonnihil iam praeparatum, ad eum attulisse. Dehinc Iulianus a philosophi huius, specie bonarum artium falsi, spiritu totus pependit. Ille igitur, advocato postea Chrysaethio, studiorum socio, et nequitiae ministro, quicquid recti fortasse, priusque in Iuliano moris supererat, illius stirpem elidere parabat. Tantum enim abest, ut eum integre docuerit τὴν ὀλὴν, quam *Eunapius* iactat, σφίλαι, aut αὐτὴν μὲν ἀντελαβεῖν ἀγνοῖα, τὸ γνήσιον δὲ τοῦ νόθου, quod quidem opinionis errore **LIBANIVS** sibi finxit, ut illam potius vanitatem doctrinae miscuerit suae; ὅση δὲ πρὸς ἀσεβνομαίαν, καὶ τὰς ἡρώσεις, καὶ φαντασίαν περιγνώσεως περιτένεται, καὶ τὴν ἐπομῶδη τοῦ τοῦ γρητὴν, quemadmodum *Greg. Nazianzenus* vere iudicavit, *Or. I. in Iulianum*. Atque adeo *Maximum* Iulianum tenuit illaqueatum. Quam in sententiam enarrator, ac potius censor Libanii, Graecus satis bene. Τὸν Μάξιμον, inquit, δοικε λέγειν, πὺν ἐκ Τύρου, ὡ χρησάμενος ὁ Ἰουλιανὸς ἡγεμόνις εἰς τὸ τῆς ἀσθεβείας βάραθρον καταπέχεσθαι p. 184. Sat, inquam, bene; modo, expuncto Tyrii nomine, Ephesium sufficiamus, ammonitu Ill. Viri, *Ez. Spanhemii*, qua in Iulian. praefatur. Cuius quidem explanationis explanatorem siquem requirimus, non tam elegantiae, quam doctrinae, causa *Caes. Baronium* evolvamus. Is autem *Maximum* philosophum Ephesium appellat illum, qui Iuliano, adhuc adolescentulo, instillarit impietatem. Quem, idem adiungit,

iungit, ad obitum usque eodem veneno Iulianum nutritum. Nam hic Iulianus  
consuetudine sua tantopere sibi devinxit, ut is et privatus, et rerum deinde  
potitus, officio erga illum ceteris satisfaceret omnibus, sibi ipse nunquam sa-  
tisfaceret, ac sine illo vitam sibi esse acerbam, profiteretur. *Citetur restis Ep.  
XV. quacum componatur Ep. XVI, qua eius arbitrio orationes suas permittit,  
Ep. item XXXIIX, ubi exponit, quanta sibi curae fuerit Maximi salus, tum  
Ep. XX XIX, ubi cum aegre dimittit, et publico quodam vehiculo prospicit ae-  
grotanti.* Quare Iulianus, philosopho deditus, perpetuae improbitatis ma-  
teriam alebat. Eundem pariter cum Prisco fatalis socium expeditionis de-  
inde asciscibat, et prius, quam animam efflaret, cum eodem de animi immor-  
talitate diserebat. Sed praecipitem Maximi casum, quo publica rerum con-  
versio eum protrivit, loco viderimus aequiore, dignum certe illo, quo de-  
mum auctore, asseverat doctissimus Purpuratus, omnes extitisse vexationes,  
quibus vaser Iuliani principatus populum, Deo coniunctum, atterere para-  
rit. *ad A. CCCLXIV.* In praesens, Socratem, negamus, criminis absolvisse.  
LIBANIVM, quem accusatione, aperte instructa, non egerit reum. Nisi forte  
Sophisten, sui, quod recordamur, ipsius proditorem, audacter tamen illo-  
rum sententiis absolvamus. Atque adeo sic habemus: eloquentiam LIBANI  
Iulianum adolescentem, in aetatis, tot periculis circumfessae, lubrico incau-  
tum, propius quidem ad superstitionem allexisse, sed insecutum eum, irre-  
viamque, acutissime sibi Maximum coniunxisse. Tamen non sumus nescii,  
quantum Iulianus, Platonicae amans sapientiae, Iamblichus pariter, ac Prisco,  
itemque aliis, tribuisse visus sit. A quibus doctior ille quidem, sed quodam  
doctrinae veneno simul imbutus, facile abscessit.

IX. Fama eius rei, ad aures Galli Caesaris delata, magna sollicitudine fra-  
trem affecit. Ponamus ante oculos summam literarum, quibus fratris vi-  
cem dolet, quem compererit, religionis, per manus traditae, sensum exuisse,  
animumque ad vanum quendam Numinum cultum traduxisse. Quamvis  
iam supra, contrario prorsus nuntio se recreatum esse, significarit, ex quo  
coeperit a Iuliano propius abesse. Iamque Aetii nuntio exultat, qui alia o-  
mnia, eademque optatissima, sibi exponat. Quare ad spem meliorum re-  
rum erectus, ad animum, in officio religionis continendum, fratrem exhor-  
tatur. *ἐγὼ δὲ σοι τοῦτ' αὖ ἐπιποιμὴ κατὰ τὸ Οὐρανὸν, Βάδ' αὐτῶν, καὶ Πη τοῦ μὴ  
παισ μὴ αὐτῶν ἐν Φογίῃ τῆς ἀγορῶν τῶν μετὰ τὴν Πη, ὡς ἐκ ἐστὶ τῆς Θεοσεβείας ἀνώτερος.*  
*Et quae in Ep. extrema 454. 455 pp. consequuntur.* Nimirum optatis Iuliani re-  
spondet fortuna, neque hic fratrem impedit, quo minus falsa spe producat,  
gaudetque in suam, potuisse veros nuntios, qui, se per invito, mysteria forte  
sua enuntiarint, vultu, ad speciem religionis composito, tam facile confutari.

Ipse



94  
110  
390

Ipsę operam dat, vt incendiū, quō pectus eius flagrabat, abstrudatur tñtisper, dum emicet tuto, atqve igne plurimo erumpat. Minus tamen Constantium celare consilium potuit, quū in eum omnium oculi conicerentur. Rescivit ergo Imperator benevolentiam, quā hic Maximum complectebatur, causamqve eius spe imperii, quod secundum famam superiorem, vitro citroqve iactatam, Iuliano philosophus confirmarat, contineri, magna voluntatis offensione cognovit. Ille vero iram indignationemqve Imperatoris pertimescere, in omnem partem animum versare, templū etiam moliri. Adhac illorum, qui pro religione vitam profuderant, nremoriam cum laude, et bonis recordationibus, prosequi, cutem abraderē, vitæ solitariae simulatione suspicionem regni appetiti tollere, anagnostae partes pro concione suscipere, agere quid vis, et pati. Sic enim sperabat, fore, vt Constantio inani sanctitatis ascitae simulacro imponeret, et temporariae prohibitatis specie praestingeret aliorum oculos, ac frustraretur. *Socrates H. E. lib. III. cap. I. Sozomenus lib. V. c. 2. compara P. Martinium, in Iuliani Misop. praesant, et Celeberr. Rechenbergium, sibi de Iuliano, sacrorum desertore, ex insituto agit.*

IX. Sed de Iuliano mox amplius dicemus. In praesentia, qua demum fortuna LIBANIVS Nicomediae vsus sit, nosse interest. Nam ea est rerum humanarum lex, vt prosperis adversae misceantur. Praesertim quum gloria fere aemulationem, aemulatio, quae spe excidit sua, obreftationem, obreftatio malum, nescio quod, pariat, nec, nisi sublato demum aemulo, saepenumero conqviescat. Quo minus esse mirum debet, si LIBANIVS in ea vbe, in qua ora omnium, oculosqve in se convertit, tantae invidiam dignitatis sibi conflavit. Aemulorum inde insidiis appetitus, pericula subinde adiit, iisque semel, et iterum cessit. Nec voluit tamen fugisse, sed secessisse, videri. Quo absente, si ebat, vt discipuli dissiparentur, propterea quod pars ad deteriorem partem animos applicabant, pars in Phoeniciam, pars Athenas, digrediebantur. At nihil iam ad dignitatem accedere sibi posse, ratus est, quum Athenas evocaretur. Quod quidem ante se vlli, negat, obtigisse, vt Athenienses dicendi magistrum repetierint aliunde. Hos enim, pernitum erat, rhetorem quendam transmarinum tam cupide expetere, apud quos primum se extulisse oratorem, summam item dicendi vim et inventam esse, et perfectam Cic in Br. et de Orat. I. fatebatur. Idem ceteris gentibus cum sapientia, tum eloquentia, tantum praellare ferebantur, vt eorum discipulos aliarum esse nationum praeceptores, *Iso crates Panegy. p. 90.* praedicaret, ne ipsi quidem Qvirites inficiarentur. Horum vrbs Velieio videbatur vna pluribus annis eloquentia, quam vniversa Graecia, vberiusqve floruisse. *lib. I. cap. 18. incunite.* Nec defuerunt fortasse, qui moleste ferrent, et tacite morderent, sed refellere palam non auderent, vocem *Aristidae*, quae, aliorum eloquentiam, libere contendebat illi, non modo barbarorum, verum etiam Graecorum, ad Atticam illam puerorum orationem esse. Solos deniqve Athenienses, pronuntiabat idem, tropaeum sibi erexisse, idque non caede fortasse partum, sed omnibus gentibus oratione, disciplinisqve devictis. Ea tamen civitas, quam gentium eruditricem olim appellasset, peregrinum huius aetatis doctorem optabat. Ac, quae antehac ne Rhodium quidem, nedum Asianum, dicendi genus cum suo comparandum putarat, Syrum iam rhetorem, eundemqve LIBANIVM, e longinqvo invitabat. Is autem honor quanta cum nominis sui amplitudine coniunctus sit, intellexit is praecclare, quum illum omnis fortunae caput nominaret. *Τουτι μὲν* inquit, *δὴ κεφάλαιον τῶν παρὰ τῆς δαίμωνος ἀγαθῶν νομιστέον.* Hac aetate si rediisset in vitam Romanus ille, ipsius *Atticae* urbis confessione doceri poterat, quod memoria sua non existimarat, & corpora gentis illius in alias civitates, Byzantium, Smynam, Pergamum, Antiochiam, Alexandriam, Nicomediam sigillatim, discendi causa separata esse, neqve amplius ingenia solis Atheniensium muris clausa. *Paterculus laud. I.* Hoc specimen prudentiae, quod LIBANIVS, animo moderatus, fatius duxit, delatum honorem modeste deprecari, quam eum, tam invidiosum, periculose in ea accipere vt be, quae ad vnanarum incrementa limis aspicere oculis solebat.

101A

37. p. 2

DE  
LIBANIO

DISPUTATIO TERTIA.

*Pro qua,*

PRAESIDE

M. IO. GVILELMO

BERGERO,

Hala Saxone,


GEORGIVS MVLLERVS,

Schoenbr. Misnic.

annitetur.


A. D. Mart.

CIO. IOC. XCIIX.



VITEMBERGAE,

Ex Officina SCHVLZIANA.



Farbkarte #13

B.I.G.

